 69

M. Egidio [?] Francoforti. Pax Christi

Nr. 100]
[= Mscr. a. 12: Nr. 20]

Quam triste spectaculum est istius Ecclesiae dispersio, quae multis iam annis tribu-
tionum sanctos coetus habuit doctrinae morumque consensu arctissime coniunctos. Quae
miseria est te id aetatis non posse sedem stabilem sortiri in ea urbe quae solet esse uni-
cum profligatorum fratrum perfugium? Equidem et tuo venerande frater et istius
Ecclesiae nomine non levem animo dolorem sentio tam tristem exitum discordiae per-
tinacis mecum deplorans. Sed quoniam hoc quoddam commune rerum bonarum fatum
est, ut ipsae percellant potius quam in aliquo gradu foelicitatis diuturnae consistat,
querelas quarum nobis maximus in vita usus est gravioribus etiam casibus reservemus.
Non dubito quin Vesaliae satis commode salva religione esse possis. Nicolaus
ille vir bonus est et mihi notus, qui si te quoque nosset et pietatem tuam ultro puta-
ret accersendum quem ut admittat cunctari videtur. Maluissem nostra potissimum
causa ita se res tuae dedissent, et nostra sic constituta essent ut te socium habere bono-
rum et malorum, tuo consilio uti, tuisque sermonibus frui possemus. Certe si id non
potest, ex meo animo commoraberis apud nos ad tempus, donec nostrae confusionis sati-
etate, ad Vesaliensis Ecclesiae mediocrem ευταξίαν evocaris. Interea et tui
fruendi nobis potestas dabitur, et tua te integritas, atque eruditio doctis, bonisque qui
Vesaliae sunt fratribus, commendabit. Nos omni studio et contentione, levare ex-
ilii vestri molestias conabimur, et quocunque poterimus officio, tua viscera refocillabi-
mus. Vale. Miror Clardum non venisse, nec eius ullam in tuis[±] fieri menti-
onem, puer adhuc valet, et bene rem gerit. De commentariis in [?] securus es-
to, nuper exiguum quiddam eiusmodi nactus, quod quia auxilii deest, domestica indus-
tria sarcire contendo. Quod nostris votis te commendas, amo te, sic enim torpo-
rem excutis, incendisque ad vehementius invocandum, cum intelligam quae te nunc ur-
get necessitas, eandem a me minime alienam esse, non tamen obliviscar tui, nisi
prius mei ceperim esse immemor. Te serio Abrahae, Jacobi, Israelitarum, et ve-
teris Ecclesiae exilia cogitantem: non[±] ~~nimis~~ calamitatibus commoveri. Spiritus Je-
su Christi, nequaquam ignorantis Ecclesiae suae pericula, tuae coniugi pyssimae, et caris-
simis liberis, adversus omnes incommoditates pectus et robur sufficiat, tibique et consulen-
do et consolando paracletus assiduus assistat. Amen. Salutem precor uxori et
familiae tum etiam fratribus, quos istic novi. Iterum vale. Scripsi inter negocia
per quam citato cursu, nec potui aliter. Duisburgi Idibus Julii. [1561]

± litteris
non ultra mediocrem [?]
consolando.

Pax Christi. Dn. Herberto a Langen [?]

Nr. 101]
[= Mscr. a. 12: Nr. 21]

Verissime Plato dixit, vir humanissime, rem sacram consilium esse. Quotidie enim
experior in mea mentis tenui caligine, nihil difficilius quam, diu multumque delibera-
to rerum quid sit in posterum iudicare, nullaque re magis meam vitam destitui, quam utilis
consilii extemporanea inventione. Proinde hac in parte distractio nostri me laesit potissi-
mum. quod ne per epistolam quidem nunc datur ad te confugere in rebus dubiis et
(quae mihi semper defuit) excussam rerum gerendarum rationem ex mutua collatione
com-